

BOLETIN OFICIAL

DEL

OBISPADO DE OSMA

SE PUBLICA EN DIAS INDETERMINADOS, EN MEDIO, UNO O MAS PLIEGOS

Bonorum cujuscumque ecclesiæ, aut pii loci occupatores punitantur.

Si quem clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ seu cujusvis sacerdotalis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios vi, vel timore incusso seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipientur, is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori, sive beneficiato, integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtainuerit. Quod si ejusdem ecclesiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus vero qui nefandæ fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur;

et a suorum Ordinum executione, etiam post integrum satisfactio-
nem, et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

Concilium Tridentinum Cap. xi Sess. xxii de Reformatione.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

Exorcismus in satanam et angelos apostaticos iussu Leonis XIII P. M. editus,

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Ps. LXVII.

*Exurgat Deus et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum
a facie eius.*

*Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pe-
rcant peccatores a facie Dei.*

Ps. XXXIV.

Indica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me.

Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

*Fiat tamquam pulvis ante faciem venti: et angelus Domini coarc-
tans eos.*

*Fiat via illorum tenebrae, et lubricum: et angelus Domini perse-
quens eos.*

*Quontam gratis absconderunt mihi interitum laquei su.: supervacue
exprobraverunt animam meam.*

*Veniat illi laqueus quem ignorat; et captio quam abscondit, appre-
hendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.*

*Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari
suo.*

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto:

*Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculo-
rum. Amen.*

AD S. MICHAELEM ARCHANGELUM.

PRECATIO.

Princeps gloriosissime cælestis militiæ, sancte Michael Archangel, defende nos in prælio et *colluctatione*, quæ nobis est adversus prin-
cipes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra
spiritualia nequitiae, in caelestibus (Ephes. vi). Veni in auxilium ho-
minum; quos Deus creavit inextirpabiles, et ad imaginem similitudinis
suae fecit, et a tyrannide diaboli emit pretio magno (Sap. ii; I Cor. vi).

Præliare hodie cum beatorum Angelorum exercitu prælia Domini, sicut pugnasti olim contra ducem superbiæ luciferum; et angelos eius apostaticos: *et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo.* Sed *projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, seducit universum orbem;* et *projectus est in terram,* et *angeli eius cum illo missi sunt* (Apoc. XII). En antiquus inimicus et *homida* vehementer erectus est. Transfiguratus in angelum lucis, cum tota malignorum spirituum caterva late circuit et invadit terram, ut in ea deleat no men Dei et Christi eius, animasque ad æternæ gloriæ coronam destinatas furetur, mactet ac perdat in sempiternum interitum. Virus nequitiae suæ, tamquam flumen immundissimum, draco maleficus transfundit in homines depravatos mente et corruptos corde; spiritum mendacii, impietatis et blasphemiae; halitumque mortiferum luxuriæ, vitiorum omnium et iniquitatum.—Ecclesiam, Agni immaculati sponsam, vaferimi hostes repleverunt amaritudinibus, ine briarunt absinthio; ad omnia desiderabilia eius impias miserunt manus. Ubi sedes beatissimi Petri et Cathedra veritatis ad lucem gentium constituta est, ibi thronum posuerunt abominationis impietatis suæ; ut percuesso Pastore, et gregem disperdere valeant.—Adesto itaque, Dux invictissime, populo Dei contra irrumpentes spirituales nequicias, et fac victoriam. Te custodem et patronum sancta veneratur Ecclesia; te gloriatur defensore adversus terrestrium et infernorum nefarias potestates; tibi tradidit Dominus animas redemptorum in superna felicitate locandas. Deprecare Deum pacis, ut conterat satanam sub pedibus nostris, ne ultra valeat captivos tenere homines, et Ecclesiæ nocere. Offer nostras preces in conspectu Altissimi, ut cito anticipent nos misericordia Domini, et apprehendas draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, ac ligatum mittas in abyssum, *ut non seducat amplius gentes* (Apoc. XX).

Hinc tuo confisi præsidio ac tutela, sacri ministerii nostri auctoritate, ad infestationes diabolicæ fraudis repellendas in nomine Iesu Christi Dei et Domini nostri fidentes et securi aggredimur.

- ℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.
- R. Vicit Leo de tribu Iuda, radix David.
- ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.
- R. Quemadmodum speravimus in te.
- ℣. Domine, exaudi orationem meam.
- R. Et clamor meus ad te veniat.
- ℣. Dominus vobiscum.
- R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, invocamus nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplices exposcimus ut, per inter-

cessionem immaculatæ semper virginis Dei genitricis Mariæ, beati Michaelis Archangeli, beati Ioseph eiusdem beatæ Virginis Sponsi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, adversus satanam, omnesque alios immundos spiritus, qui ad nocendum humano generi animasque perdendas pervangatur in mundo, nobis auxilium præstare digneris. Per eumdem Christum Dominum Nostrum. Amen.

EXORCISMUS.

Exorcizamus te, omnis immundus spiritus, omnis satanica potestas, omnis incursio infernalis adversarii, omnis legio, omnis congregatio et secta diabolica, in nomine et virtute Domini Nostri Iesu $\ddot{\text{X}}$ Christi, eradicare et effugare a Dei Ecclesia, ab animabus ad imaginem Dei conditis ac pretioso divini Agni sanguine redemptis $\ddot{\text{X}}$. Non ultra audeas, serpens callidissime, decipere humanum genus. Dei Ecclesiam persequi, ac Dei electos excutere et cibrare sicut triticum $\ddot{\text{X}}$. Imperat tibi Deus altissimus $\ddot{\text{X}}$, cui in magna tua superbia te similem haberi adhuc præsumis; *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. II). Imperat tibi Deus Pater $\ddot{\text{X}}$; imperat tibi Deus Filius $\ddot{\text{X}}$; imperat tibi Deus Spiritus Sanctus $\ddot{\text{X}}$. Imperat tibi maiestas Christi, aeternum Dei Verbum, caro factum $\ddot{\text{X}}$, qui pro salute generis nostri tua invidia perdisti, *humilavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* (Phil. II); qui Ecclesiam suam ædificavit supra firmam petram, et portas inferi adversus eam nunquam esse prævalituras edixit, cum ea ipse permansurus *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20). Imperat tibi sacramentum Crucis $\ddot{\text{X}}$, omniumque christianæ fidei Mysteriorum virtus $\ddot{\text{X}}$. Imperat tibi excelsa Dei Genitrix Virgo Maria $\ddot{\text{X}}$, quæ superbissimum caput tuum a primo instanti immaculatæ suæ conceptionis in sua humilitate contrivit. Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et ceterorum Apostolorum $\ddot{\text{X}}$. Imperat tibi Martyrum sanguis, ac pia Sanctorum et Sanctarum omnium intercessio.

Ergo, draco maledicte et omnis legio diabolica, adiuramus te per Deum $\ddot{\text{X}}$ vivum, per Deum $\ddot{\text{X}}$ verum, per Deum $\ddot{\text{X}}$ sanctum, per Deum qui *sic... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Io. III): cessa decipere humanas creaturas, eisque aeternæ perditionis venenum propinare: desine Ecclesiæ nocere, et eius libertati laqueos iniicere. Vade, satana, inventor et magister omnis fallaciæ, hostis humanæ salutis. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; da locum Ecclesiæ uni, sanctæ, catholicæ, et Apostolicæ, quam Christus ipse acquisivit sanguine suo. Humiliare sub potenti manu Dei; contremisce et effuge, invocato a nobis sancto et terribili nomine Iesu, quem inferi tremunt, cui Virtutes cælorum et Potestates

et Dominationes subiectæ sunt; quem Cherubim et Seraphim inde-fessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum,
Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus
Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus qui potestatem
habes donare vitam post mortem, requiem post laborem; quia non
est Deus præter te, nec esse potest nisi tu creator omnium visibi-
lium et invisibilium, cuius regni non erit finis: humiliter maiestati
gloriæ tuae supplicamus, ut ab omni infernali spirituum potes-
tate, laqueo, deceptione et nequitia nos potenter liberare, et incolu-
mes custodire digneris. Per Christum Dominum Nostrum. Amen.

Ab insidiis diaboli, libera nos, Domine.

Ut Ecclesiam tuam secura tibi facias libertate servire; Te rogamus,
audi nos.

Ut inimicos sanctæ Ecclesiaæ humiliare digneris; Te rogamus audi nos.

(Et aspergatur locus aqua benedicta.)

Ex audientia Sanctissimi.

Die 18 Maii 1890.

Sanctissimus D. N. LEO divina providentia PP. XIII omnibus Re-verendissimis Episcopis, nec non Sacerdotibus ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentibus, qui exorcismum supra ex-pressum devote semel in die recitaverint, partiale tercentum die-rum indulgentiam singulis diebus lucrando: iisdem vero per totum mensem id peragentibus, confessis, ac sacra Eucharistia refectis, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam semel in men-sa, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrando impertitus est: se, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrando impertitus est: quam etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis appli-cari posse declaravit. Præsentibus in perpetuum valituris.

† D. ARCHIEPISCOPUS TYRENSIS
S. C. de Propaganda Fide Secretarius.

OBISPADO DE OSMA.

En virtud del anterior decreto de Su Santidad, autorizamos por

el presente á todos los Sacerdotes de Nuestra Diócesis para que reciten los precedentes exorcismos y puedan así ganar las indulgencias que se expresan.

Burgo de Osma 20 de Noviembre de 1891.

Pedro María, Obispo de Osma.

SECRETARÍA DE CÁMARA Y GOBIERNO.

En la librería de D. Ambrosio Vicente, de esta villa, hay un tomo 7.^º del BOLETIN ECLESIÁSTICO, el cual fué enviado sin duda por algún párroco ó Economo con el fin de empastarle, y, ó ha fallecido, ó no se ha acordado de mandarle recoger, pues hace bastante tiempo que está en la expresada librería. Se cree sea de la parroquia de Briás, y á ésta se aplicará, si de otra no se reclama y se prueba que pertenece á la misma, pero muy pronto.

Dr. José Kidalgo, S. I.

CONFERENCIAS MORALES Y LITURGICAS

DEL

OBISPADO DE OSMA.

Dia 20 de Agosto.

CASO.—*L., ignavus, ultima die temporis paschalis, bene tamen paratus, ad confessionem accessit; dubitans nihilominus confessor de ejus dispositione, per octo dies illi absolutionem suspendit. At non valens. L. amplius in parochia permanere, ad longinquam regionem, ubi magnam anni partem residebat, profectus est, et ibi confessus absque licentia legitima communicavit. Alius similiter, non obtenta parochi licentiam, feria 5.^a in Cœna Domini, de manu Episcopi in Cathedrali communicavit. Adimpleveruntne præceptum paschale duo præfati, vel peccarunt et iterum ad communionem in propria parochia tenentur?*

SOLUCION. *L., quamvis non laudandus propter ignaviam ac segnitiem, adimplevit nihilominus paschale præceptum, quia rite dispositus, etsi confessarius id plane non noverit, atque in tempore habili ad satisfaciendum accesit jure suo utens; aliunde, satisfecit in longinqua parochia communiens, cum in propria moraliter saltem impossibilis esset adimpletio. Insuper, L. in regione illa morans, spectari potest vel ut peregrinus, et tunc ubicumque præceptum adimplere poterat, vel ut quasidomicilium habens, quo in casu in parochia propria communicavit, ut pote vere subditus; præcepto igitur quoque satisfecit.*

Secundus vero, cum Ecclesia Cathedralis propria ejus parochia non sit,

nequaquam adimplevit præceptum ex variis Srum. P. Constit., tum ex consuetudine ubique recepta vim legis habente; nisi demus, quod casus videatur excludere, eumdem licentiam sive Parochi sive Prælati habuisse ad communicandum in tali loco; quare peccavit et tenebitur iterum communicare in sua parochia, ut benedici possit ipsum adequate satisfeccise ecclesiastico præcepto paschali. S. Alf. 6.^o. 300 et sequen. et Gury tam in Comp. quam in Cas. à num. 443 usque ad 456 inclusive.

Dia 3 de Septiembre.

CASO.—*M., ob linquæ defectum suo consecrationis verba proferat: Ho es eni corpu meu: Hi es eni sanguini meu, et cætera, ultimas syllabas mutilando. Item, ninis distractus, sæpe de intentione dubitat; et an verba consecrationis proferret; hinc, aliquando bis et etiam ter præfata verba repetit. Hoc in statu suum confesorem interrogat, au sic celebrare poterit, vel se abstinere debeat. Quid ipsi?*

SOLUCION. In hippotesi quod linguæ defectus naturalis, ideoque incorrigibilis, de M. dicendum valide et licite consecrasse, quia forma ab ipsomet prolata quoad substantiam eadem est ac illa a J. C. instituta, etsi enim propter vitiosam pronuntiationem non omnes litteras proferat, tamen verba illa ex ejus mente et intentione significant id quod significare debent. Isa Gury, Marc., Alsina et S. Alf. 6.^o, 221 et sequ., qui etiam allegat Salm. et n.^o 224 rationem in alio casu affert inquiens. «Quia voces ita constitutæ sunt, ut, si aliquando cum vitio proferantur, idem significant; sufficit enim ut verba formæ ingerant sensum a Christo intentum; secus si alium sensum ingererent.» Si vero pronuntiatio vitiosa erat ex incuria, contemptu vel præcipitatione voluntaria, consecratio ex dictis valida erit sed illicita, quare ipsum monebit confessarius ut a celebrando sese abstineat ac maxime laboret ad defectum illum penitus extirpandum. Quoad secundum respondit confessarius imprudenter dubitare M., et adeo tale dubium spernendum, dummodo consecrandi intentionem non excluserit, et aliunde actiones ad hoc requisitas posuerit, prout alias consucessit, quia saltem voluit facere quod alias fecit et alii facere solent, unde intentionem habuit *in actu exercito*. Insuper, ut ait De Herdt, Tit. 7.^o, non est necessaria explicita intentio, sed implicita sufficit, id est, ut veram intentionem consecrandi non excluserit vel oppositam formaverit. Male sese gessit, dum verba formæ repetit in tali dubio; nam Rubrica Tit. 7.^o tantum permittit semel verba vel formam iterare sub tacita conditione, cum adsit verum dubium, seu, ut ait, valde probabiliter dubitet. De Herdt et Rubr. locis citatis.

Dia 17 de Septiembre.

CASO.—*N., ad duas restitutions in gravi materia obligato bona fide præcepit confesor, ut alteram quantitatem, cuius dominus erat cognitus, in celebrationem missarum impenderet: pro altera vero, cuius dominus in longinqua regione, licet intra patriam, erat, bullas compositionis dictas, eidem quantitati respondentes, sumeret. Quid de resolutione confessarii et ad quid tenetur? Vere N. restituendi obligationem adimplevit, vel iterum restituere tenetur?*

SOLUCION. Confessarius male functus fuit munere suo, dum solutionem dedit N. circa restitutionem; nam ei præcepit restituere modo non debito; cum esset notus dominus, cuius jura violata fuerunt, ut tenet communis

ac certa doctrina. Idecirco ejusmodi confessor tenebitur errorem corrigere cum aliquo incommodo, ut tradit S. Alf. Homo A. Tract 19, n. 122 et autores ab ipsomet allati, seu tenebitur pænitentem, ejus obtenta licentia, monere de errore commiso, nam quisque tenetur impedire vel reparare damnum proximi ex sua actione, etiam materiali, proveniens, cum potest; et asseritur cum aliquo incommodo, quia, ut casus ait, bona fide, si hæc dari potest, et non potius supina ignorantia, errorem commisit. Hac monitione omissa, an teneatur restituere loco debitoris vel non, nonnulli eum excussant dicentes quod cum confessarius non læserit justitiam, non tenetur ad monitionem nisi ex charitate, quæ non obligat ad restitutionem; verum communius affirmant Lugo, Salm. et alii, quia ejus consilium, licet bona fide datum, est causa positiva et efficax damni, quod creditor patitur, et in ejus damnum influere pergit, ideo confessario ut causæ efficiaci imputari debet; quare, cognito errore, tenetur ex justitia causam danni auferre; eodem modo ac si quis sine culpa gravi incendisset domum proximi, si potest sine gravi incommodo, tenetur ex justitia ad ignem extinguendum. Ad secundum, N. restituendi obligationem non adimplevit, quia per Missarum celebrationem damnum creditor causatum minime compensatur; compositio autem per Bullam solummodo locum habet, quando, omni adhibita diligentia, dominus læsus haud inveniri queat, quod in casu non accidit, dominus enim notus supponitur; iterum ergo restituere tenebitur.

Suscripción para remediar las necesidades de los inundados de las provincias de Toledo, Almería y Valencia.

	Ptas. Cts.
<i>Suma anterior.</i>	1540 35
El párroco y feligreses de Los Rábanos, 15.—Id. id. de La Losilla, 5.—Id. id. de Brias y Nograles, 11.—Id. id. de Povar y Villarraso, 21'90.—Id. id. de Muriel de la Fuente, 3'50.—Id. id. de Morales y Recuerda, 2'60.—Id. id. de Santa María de Aranda, 35.—Id. id. de San Juan de id., 22.—Id. id. de Gumiell de Izan, 8'50.—Id. id. de Villalvilla de Gumiell y Tovilla del Lago, 6.—Una persona particular, 1.—El párroco y feligreses de Adrada, 5.—Id. id. de Ontangas, 3.—D. Cayo Gonzalez, 1'50.—D. ^a Felipa de la Muela, 5.—D. Juan Mateo, 0'25.—El párroco y feligreses de Sinobas, y Villanueva de Gumiell, 9.—Id. id. de Villalba de Duero, 13'40.—Id. id. de Espejon, 3.—Idem id. de Blacos, 1.—Id. id. de Ocenilla y Toledillo, 5.—Id. id. de Pedraja y Oteruelos, 26'30.—Id. id. de Aza y Oyales, 5.—Id. id. de Hinajar del Rey, 24.—Id. id. de Alcozar y Velilla, 11.—Id. id. de Osona y La Ventosa, 22'4.—Id. id. de La Aguilera, 12.—Id. id. de La Revilla, Fuentelaldea y La Barbolla, 17.—Id. id. de Villar del Campo y Valdegeña, 2.—Id. id. de Navapalos, 3.—Recogido en la iglesia del Carmen de esta villa, 1'35.—El párroco y feligreses de Seron, 8'62.—Id. id. de Ontoria del Pinar, 13'50.—D. Pablo Lagüera y familia, 10.	
<i>Suma y sigue.</i>	1873 81